

resulter, neque etiam erit necessaria realis mutatio vt de nouo retinetur. Neque e conuerso, vt auferatur, erit necessaria ablatio aut suspensio alicuius realis actus. Aliam responsionem adhibet ibi D. Thom. (quam ipse etiam non videtur probare, cum post illam alia adiungat) nimirum hos respectus non terminari ad creaturas vt sunt in se ipsis, sicut relationes domini, vel creatoris, sed vt sunt in ipso Deo, & ideo non posse mutari, nisi mutato Deo. Sed hoc in primis locum non habet in voluntate libera, nā per eam vult Deus creaturam in se ipsa; ergo respectus ille non terminatur ad creaturam in Deo, sed in ipsa. Idemq; est de scientia visionis de qua ibi est sermo, nam, licet dicatur Deus videre res in se tanquam in cauſa vel ratione cognoscentis, tamen inuitus Dei vltimate ferunt ad res prout sunt in se ipsis, & ita respectus talis scientiæ ad illas in se ipsis terminatur.

LIII.

Igitur hæc difficultas aliter expedienda videtur in scientia, & aliter in voluntate. In scientia, est res longè facilior, nam cum ipsa in se non sit libera, sed necessaria, non potest in ea intelligi qd de nouo aliquid sub eam cadat, vel sciri deſinat, nisi facta aliqua mutatione in ipsa scientia: nā si supponatur obiectū scibile, diuina scientia talis, tā perfecte q; est, vt naturaliter ac necessario repræſentet omne v. ū. seu oē scibile. Quapropter si in tempore Deus aliquid sciret, quod ab æterno non sciuisset, necessarium esset ei addi aliquā scientiam realem, quia nihil scire potest nisi per realem scientiam: aut ergo illā non habuit ab æterno, & sic oportuit in tempore addi; aut si ab æterno illam habuit, ab æterno et illi repræſentant tale obiectū, quia, vt diximus, naturaliter repræſentant: & eadē rōne, quod ab æterno repræſentant, perpetuo repræſentant. Neque enim potest accedere variatio in tali respectu ex parte solius obiecti: nam omnis res futura in aliqua differentia temporis, quantum est se, semper est scibilis, quia ex æternitate verū est dicere, illam fore in tali tempore. Et eadem rōne omnis veritas tam affirmatiua q; negatiua, circa res futuras, aut nō futuras, siue à nobis per modū futuri, siue presentis, aut præteriti significetur; ex scibili est obiectū seu terminatū; & ideo qd non semper, sed de nouo sciatur, non potest provenire nisi ex imperfectione scientiæ, quæ vel imitata est, vel à rebus ipsis est sumenda. Quare talis additio scientiæ non potest fieri quasi per extrinsecam additionem obiecti, sed per reale augmentum ipsius scientiæ, & consequenter per veram ac realem mutationem.

LIIII.

Quapropter hoc ipso qd diuina scientia infinita est, illi repugnat talis mutatio seu nouitas, quia illa scientia nec sumitur ab obiecto, nec ab illius reali existentia pendet, sed ex se nata est replectente illud, et si duracione distet; semperq; ac naturaliter repræſentat quid quid in obiecto repræſentabile est. Et eadem ratione non potest tali scientiæ accedere diminutio; quia vnumquodque repræſentat pro eo tempore & modo quo futurū, vel non futurum est.

LV.

Addunt aliqui immutabilitatem scientiæ visionis provenire ex immutabilitate diuinæ voluntatis: nam quia eius decretum æternum est, & immutabile, & ab eo dependet res future, ideo scientia earum immutabilis etiam est. Sed licet verū sit posita immutabilitate decreti, scientiam in eo

A fundatam, fore et ex eo capite inuariabilem, ut per se loquendo, non fundari inuariabilitas scientiæ in immutabilitate decreti liberi. Nam et si per impossibile Deus de nouo aliquid inciperet velle, aut desinere, seu mutare posset voluntatem suam, nihilominus scientia esset inuariabilis, quia ex æternitate repræſentaret tale decretū, vel mutationem in eo futuram pro suis temporibus, eo modo quo de voluntate creata hæc inuariabiliter repræſentat. Est ergo illa scientia ex se, & ab intus eo immutabilis, ob infinitam ac naturalem seu necessariam repræſentationem suam.

LVI.

De voluntate ergo est res difficilior, eo qd etiā sufficienti proposito obiecto determinatio eius libera sit; & ideo quantum actus eius fit infinitus, & per se sufficiens sine villo addito reali ad tendendum in obiectum creatum, non apparet vnde necessarium sit, liberam eius determinationem esse æternam, & ab æterno in re positam, si aliquādo futura est, aut in æternū durare, si semel est. Dices, imò hoc ipso qd Dei volitio & determinatio libera non est aliquid quàm entitas eius, necessarium est vt quod semel vult, semper ab æterno, & in æternum velit, quia fieri non potest vt obiectum quod semel Deus vult pro aliqua differentia temporis v. g. pro illa non sit futurū, & consequenter quod ab æterno & in æternum sit in futurum, seu habeat eandem habitudinem ad existendum pro illa differentia temporis: ergo neq; euan fieri potest vt si semel Deus vult tale obiectū, non velit illud ab æterno & in æternū. Sed hæc ratio nō videtur efficax. Aut enim fundatur in hoc, qd volitio Dei libera est simplex eius entitas necessaria absque additione realitatis liberæ, vel in hoc qd posita veritate obiecti futuri pro aliqua differentia temporis, fieri non potest vt non sit futurum eo modo, quo cadit in diuinam voluntatē. Primum non sufficit; nam hoc est, cuius rōne inquirimus, cū Deus per eandem entitatem necessariā possit liberè velle res ad extra sine vlla additione, cur non possit id tā in tempore, quā in æternitate præſtare, cum non maior additio in vno quā in alio requiratur, & consequenter nec maior mutatio; vnde tū abest vt ex illo principio expediatur hæc difficultas, vt potius ex illo nascatur. Si vero adiugatur secundum de obiecto, videtur per se principii obiectum enim seu effectus voluitis à diuina voluntate pro aliqua differentia temporis, deo in fallibiliter erit, quia voluntas diuina est efficax, & immutabilis, si autē decreto Dei esset mutabile, et si ab æterno esset positum, nō esset absolute in fallibiliter futurus effectus eius: sed tū sub conditione, nepe si in eo decreto Deus persistat. Neque hoc erit contra efficaciam diuinæ voluntatis; sed potius ex illa nascatur, qd mutatio decreto cesset effectus. Igitur principium petitur, dum immutabilitas decreti probatur ex immutabilitate obiecti semel voliti. Respondenti potest, ratione fundari in obiecti immutabilitate hæc aut non fundari in immutabilitate diuinæ voluntatis, sit enim peteretur principii, sed fundari in æterna veritate propositionis de futuro, quæ mutari non potest ob necessitatem compositam, quam includit. Quia sicut id quod est, quando est, necesse est esse, ita quod futurū est, supposito quod futurū sit, non potest non fore. In omnibus autem quæ in re futura sunt, vel nō sunt in aliqua differentia temporis